Königl. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen.

XLIII.

Zu der

Mittwoch, den 21. und Freitag, den 23. März

stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen des Gymnasiums

und der Vorschule

ladet

im Namen des Lehrercollegiums

ergebenst ein

Prof. Dr. Schwartz,
Director.

Inhalt: „De Dorismi cum metris apud Aeschylum et Sophoclem necessitudine,"
scripsit Guilelmus Köhler.

POSEN, 1877.
Hofbuchdruckerei W. Decker & Comp.
(E. Röstel.)

No. 125 des Teubner'schen Catalogs.

Constantin Jund

Die Schulnachrichten sind besonders ausgegeben worden.

De Dorismi cum metris apud Aeschylum et Sophoclem necessitudine.

Quamquam de Dorismo in fabulis tragicorum Graecorum observato non pauci magno cum studio ac doctrina elaboraverunt, tamen res non eo videtur perducta esse, ut plane profligata atque excussa sit censenda. Etenim in hanc rem qui inquirere vult, necesse est cognitam habeat non solum probatam codicibus formarum Doricarum copiam, locorum in quibus occurrunt, argumentum et colorem, poëtarum ingenium et indolem, verum etiam uniuscuiusque, si quidem alter ab altero discessisse videatur, artem et studium. Quae tamen quaestio cum facile nos rei subtilitate ac prope dixerim obscuritate deterreat et, praesertim si miseram librorum manuscriptorum condicionem respexeris, eximiam, ut inde emergamus, requirat et iudicii et doctrinae copiam: non mirabile videri debet, plures exstitisse, qui congererent et in genera sua distribuerent, quot quasque voces tragici Graeci Dorice conformassent, neminem, qui leges doceret, quas in suis quisque fabulis Dorismis usus observasset.

Et re vera prima specie ii soli de Dorismo recte iudicavisse videntur, qui omnem eius usum copiam electionem non tam a maiore minoreve singulorum poëtarum vel studio vel arte diversa quam *a natura et colore eorum, quae in quoque cantico dicta essent,* repetenda existimaverunt. Quod qui contenderunt, insigni illa Godofredi Hermanni auctoritate nixi sunt, qui primus plus semel in scriptis suis de Dorica dialecto a tragicis usurpata[1]) ingeniose ut assolet disputans »aptiorem eam vehementioribus esse animi commotibus, quae quo maior esset, eo magis requirere grandiorem atque insolentiorem orationis formam« docuit. Quae quam vere dicta sint, et peritus quisque huius rei arbiter concedet nec iure negare poterit is, qui hic illic poëtas ea minus severe observasse viderit. Immo vero id constare credi potest, imprimis eam regnare in iis cantionibus, quae eximiam quandam respirant sententiarum vim et sublimitatem, praesertim ubi in Deos sacra fata oratio incidit; deinde eam optime decere invenies ea carmina, in quibus varii animi affectus, ut dolor acerrimus aut exsultans laetitia, depinguntur: unde factum est, ut commis quoque et monodiis apte conveniat[2]). Cuius rei exempla cum in quaque fere fabula permulta se offerant, non est, cur in ea multi simus.

Iis, qui talem, qualem indicavimus, Dorismi naturam esse demonstraverunt, non repugnant, sed potius consentiunt, qui ex *modis* quoque vel *harmoniis*, novo quodam nec mediocri argumento, eam intellegendam esse coniecerunt. Quo in genere etiamsi fontes, unde satis cognosci possit, quibusnam modis singula cantica decantata fuerint, non late manent, cum ex fabulis ipsis, una excepta parodo in Supplicum tragoedia v. 69:

τὼς καὶ ἐγὼ φιλόδυρτος Ἰαονίοισι νόμοισι
δάπτω τὰν ἀπαλὰν εἰλοθερῆ παρειάν sq.

haurire non liceat, grammaticorum[3]) autem praecepta ad hanc disciplinam pertinentia recentiorem

[1]) confer, quae H. Schaefer in programmate Cottbus. 1866: »de Dorismi in tragicis Graecis usu« aptissime inde attulit.

[2]) Monodias ab Aeschylea quidem arte abhorrere notum est.

[3]) Rossbach und Westphal, Griechische Metrik II., 1, p 74: Dorische Tonart in den tragischen Chorliedern, Aeolische und Jonische in den Monodieen.

tantum poesis tragicae artem, quam Sophoclem et Euripidem, non Aeschylum secutos esse pro explorato habemus, tamen certum videtur, Doricae harmoniae etiam formas huius dialecti aptiores fuisse, alieniores iis canticis, quae Jonicis Lydiis Phrygiis modis canebantur. Cumque Doricam harmoniam locum habuisse traditum sit[1]) primum in strophis, quae constarent ex epitritis cum dactylicis numeris coniunctis, deinde in parodis et stasimis ex glyconicis iambicis trochaicis numeris constantibus, iure poteris, ubi haec metra adhibita exstant, maiorem Dorismum exspectare.

Constat autem has leges in harmoniis carminum et argumenti colore positas, ad quas totus huius dialecti usus revocari posse visus est, non tales esse, quales ubique poëtae observaverint; immo multa inveniuntur exempla, quae demonstrant, modo admissam eam, quamquam aliis atque Doricis modis carmina temperata scimus, modo contemptam, ubi propriam suam sedem habere solet. Hoc exempli causa accidit in primo stasimo Eumenidum, ubi decantatis ab Eumenidibus primis stropharum syzygiis, quae Dorismis refertae sunt, inde a quarta

v. 373 *μένει γὰρ εὐμηχάνει* sqq.

nullam[2]) inveneris formam Doricam, quamquam hae strophae sententiarum gravitate antecedentibus nihil cedunt et solemni illo gravique iamborum rhythmo utuntur. Illud evenit in toto genere commorum, qui cum Lydiam[3]) modulationem sequerentur, tamen maximam partem mere Dorice colorati sunt. Denique idem hoc statuendum est de monodiis, quas modo Aeolica, modo Jonica cantatas fuissse accepimus.

Vides ex his, quae attulimus, Dorismi usum nullo modo ab omni parte posse intellegi. Quare exstiterunt, qui tertiam causam, cur eum tragici nunc adhibuerint nunc contempserint a *metris* depromerent, quorum, cum suam quodque propriam ac peculiarem vim et naturam tenuisse constet, artissimam cum carminum et sermone et argumento necessitudinem recte perspexerant. At effugisse hos viros doctos videtur quid inde sequeretur. Nonne iidem concludere debuerunt, cum metrorum apud tragicos permagna diversitas esset, etiam Dorismum eorum debere diversum esse? Quod cum ea, quae concludere praetermiserunt, observatione non refelli, sed optime confirmari nos invenisse putaremus, ad rem comprobandam nonnulla, ex Aeschyli et Sophoclis fabulis collecta comparataque, hic literis mandare constituimus.

Ac mihi quidem omnia, quae in hoc genere observavi, breviter complectenti maioris artis laude ornatus videtur Aeschylus quam Sophocles.

Ille enim cum totam fere diversorum numerorum copiam retineret et ita disponeret, ut pro varia sententiarum ac rerum, quas enarrat, natura aptissimum quodque metrum summa cum cura et arte eligeret, facere non potuit, quin una cum rhythmorum vicissitudine, ut oratio et poesis efflouresceret omnibus numeris absoluta, dialectum quoque variaret atque mutaret. Hinc causam quaeras, cur in uno eodemque cantico interdum non minor evadat dialecti vicissitudo quam invenias metra diversa vel argumenti capita. Cuius rei nonnulla exempla, insignia ea atque luculenta, proferamus.

Parodus fabulae Persarum inde a vv. 66—133, si metra spectamus, in duas partes dividitur, quarum prior inde a vv. 66—112 ex ionicis numeris, altera ex trochaicis composita est. Cui rhythmo bipartito severe respondet sermo, qui per primas sex strophas uno excepto genitivo Ἕλλας ex genere nominum propriorum, quae ne a diverbiis quidem aliena sunt, prorsus linguae vulgari accommodatus, in sequenti autem epodo et syzygiis trochaicis Dorice coloratus profluit. Habes igitur in strophis Ionicis[4])

v. 78. *ζονόμοις ἔκ τε θαλάσσης*, eandemque formam vulgarem in vv. 91. et 108.

v. 84. *πολύχειρ καὶ πολυναύτης*,

---

[1]) cf ibidem II. 2, p. 639.

[2]) *ἀπαλίῳ* Dindorfius aperte iniuria et contra omnes codices scripsit; de eadem voce infra copiosius disputabimus. *Λάμπᾳ* incertissima nec facile ferenda Hermanni coniectura.

[3]) cf. Westphal l. c. p. 637.

[4]) Optime O. Müller, cui assentitur Westphal l. c. p. 309, huius cantici strophas, epodo librariorum errore transposita, in integrum ordinem restituit.

v. 92. ἀπρόσοιστος γὰρ ὁ Περσῶν.
v. 109. πολιαινομένης πνεύματι λάβρῳ,

contra ubi trochaicae strophae leguntur:

Str. πᾶς γὰρ ἱππηλάτας
καὶ πεδοστιβὴς λεώς
σμῆνος ὡς ἐκλέλοιπεν μελισ-
σᾶν σὺν ὀρχάμῳ στρατοῦ
τὸν ἀμφίζευκτον ἐξαμείψας
ἀμφοτέρας ἅλιον
πρῶνα κοινὸν αἴας.

Antistr. λέκτρα δ' ἀνδρῶν πόθῳ
πίμπλαται δακρύμασιν·
Περσίδες δ' ἁκροπενθεῖς ἑκά-
στα πόθῳ φιλάνορι
τὸν αἰχμάεντα θοῦρον εὐνα-
τῆρα προπεμψαμένα
λείπεται μονόζυξ.

Patet autem, si recta coniectura nituntur, quae de dialecti et metrorum concentu disputavimus, novam inde ansam ac regulam offerri ad emendationem locorum seu inscientia librariorum seu neglegentia depravatorum, nec eos ubique potuisse ad integritatem contextum revocare, qui arbitrio solum usi, istam rationem ac legem nihil respexerunt. Itaque errasse mihi persuasum est Hermannum, cum in epodo eidem nostrae Persarum parodo inserta Dorismos praetulit, remoto sermone vulgari codicibus non minus commendato. Potius sic eam scriptam volo:

v. 94. δολόμητιν δ' ἀπάτην θεοῦ
τίς ἀνὴρ θνητὸς ἀλύξει;
τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πήδημ'
εὐπετῶς ἀνάσσων;
φιλόφρων γὰρ ποτισαίνου-
σα τὸ πρῶτον, παράγει
βροτὸν εἰς ἄρκυας ἄτη,
τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲκ θνη-
τὸν ἀλύξαντα φυγεῖν.

ita ut totius parodi schema hoc sit:

ionici	trochaici
α′ α,′ β′ β,′ γ′ γ,′ δ,′	ε′ ε,′ ϛ′ ϛ′
dialectus vulg.	dial. Dorica.

Jam denuo contemplare primum Eumenidum fabulae stasimum vv. 329—398 supra commemoratum, cuius prima stropharum syzygia pure trochaica est, altera trochaica cum dactylicis nonnullis versibus consociata, tertia denique mere dactylica; atque in his quidem stropharum syzygiis Doricam dialectum regnare vides. At longe alia est ratio quartae syzygiae, qua inde a vv. 373 Eumenides cantum suum concludunt: in qua subito mutatis rhythmis, cum nunc iambici fluunt, etiam statim a Dorica dialecto discedit et ad linguam vulgarem redit oratio. Quod hoc mirabilius videbitur, quia causa cur Aeschylus sermonem mutaverit, nec quaeri debet ex argumenti sententiarumque colore aut cohaerentia, nec ex musica, quam hoc loco nullo modo potuisse variari ve-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] ex [illegible] quis praeter [illegible] Aeschyleorum partes [illegible] animi affectiones [illegible] hoc metrum [illegible] est in Anacreonteis [illegible] in tragicorum usu [illegible] praecipue convenir[illegible] [illegible] convenientiae, quae intercedat inter hoc metrum

[illegible] Aeschyli [illegible] Suppl. [illegible] 574—58[illegible] [illegible] Agam. 179—242. [illegible] 711—718. 1[illegible] 1527—15[illegible] [illegible] Eum. [illegible] Trachiniae [illegible] Suppl. 125—161. Pers. 113—1[illegible] [illegible] 579—612 Eumenid. 319—3[illegible]

[illegible] Aeschyli [illegible]

[illegible] p. LII

et sermonem, desunt exempla, unde elegerim initium secundi chorici fabulae Prometh.

v. 399. στένω σε τᾶς οὐλομένας τύχας, Προμηθεῦ
δακρυσίστακτον ἀπ' ὄσσων ῥαδινῶν δ' εἰ-
βομένα ῥέος παρειὰν
νοτίοις ἔτεγξα παγαῖς. sqq.

et quae leguntur in prima syzygia secundi stasimi fabulae Sept. v. 701:

πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον sqq.

Attamen Aeschylum non ubique cum hoc genere numerorum dialectum Doricam consociasse, cum alia tum maxime parodos illa Persarum supra commemorata testatur, ex qua si nostram argumentationem secutus formas epodo obtrusas expuleris, iam nihil remanebit, quod a lingua communi recedat.

Prorsus eadem ratio est versuum logaoedicorum. Qui cum apud Aeschylum propriam sedem quasique domicilium habeant in iis carminibus, in quibus animi summo dolore anxietateque commoti atque cruciati ante oculos ponuntur, velut in secundo Persarum stasimo, ubi vv. 636 — 682 senum chorus manes Darii cantibus suis in lucem revocat, nihil a veritate aberrabis, si eximia Doride ea concepta fuisse conieceris. Quamquam ne hos quidem numeros dialectum communem respuere, demonstrant, quae ex Choëphorum fabulae threno, qui incipit a verbis

v. 315. ὦ πάτερ αἰνόπατερ, τί σοι sqq.

exscripsimus: δορίδμητος v. 343., θανατηφόρος. v. 364[1]), τλήμονι v. 379, πευκήεντ' v. 382, quas quidem formas Dindorfius mirum quantum delevit.

Atque etiam in genere dochmiaco metro agitationis et motus tam pleno quam a rhythmo linguae cottidianae omnium maxime remoto[2]) ob eamque causam ad exprimendam animi desperationem aptissimo, tantus vulgarium formarum numerus invenitur, ut amoveri nisi vi illata nequeant. Quod ut probemus, in medium proferamus parodum fabulae Septem

v. 83. Νεόκοτα θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη sqq.

cuius antistrophus γ.' v. 159. δημίως et v. 162 μνήστορες retinuit. Pariter in secundo eiusdem fabulae episodio leguntur v. 608. ἡμετέρας τελεῖθ' sqq.

et in Agamemnonis commatio dochmiaco

v. 1132. ἑπόμενα προτέροισι τάδ' ἐφημίσω
v. 1135. τέρμα δ' ἀμηχανῶ

Postremo ex carminis, quod in Supplicum fabula chorus virginum laetitia exsultantium strophis β'β', γ'γ' vv. 632 — 667 rhythmo dochmiaco ligatis excerpsi: ἔνδημον v. 655, εὐφήμοις v. 664, φήμα v. 667[3]).

Cumque ut ad extremum veniamus, ii numeri, quos ut ad modos Doricae harmoniae constanter cani, ita etiam dialecti cognominis pigmentis praeter ceteros maxime ornari solita fuisse memoria docet, epitritos secundos dico cum dactylicis numeris coniunctos, ab arte Aschylea plane abhorreant, quippe qui nec ullo certo loco reperiantur et propter artificiosam suam contortamque compositionem cum permagna illa numerorum, quam hic tragicus in carminibus servavit, simplicitate per se parum concinant: apertum est, carmina, in quibus Dorismus penitus regnet, esse pauca, metrum, quocum quasi lege adstrictus ubique coniunctus inveniatur, nullum. Licet igitur Aeschyli musa multis in rebus imprimisque in quaesito quodam insolentique genere dicendi iustum modum et auream mediocritatem excesserit, si Dorismum spectamus, eam admiramur temperantiam, quae nullam aliam rationem aut legem nisi liberum iudicium et quid quoque loco deceret, sit consecuta.

---

[1]) cf. Soph. Oed. tyr. v. 181: θανατηφόρα κεῖται ἀνοίκτως.
[2]) Westphal l. c. II, 2. 854.
[3]) Facilius ferri posse absolutam formam vulgarem φήμη, explicavit Schaefer l. c. p. 7.

His expositis nunc veniamus ad Sophoclem et quaenam apud eum inter dialectum Doricam et metrum intercedere videatur necessitudo, quaeramus. In quo genere ante omnia nobis respiciendum est, Aeschyli artem metricam a Sophoclea ea potissimum re differre, quod illa ab antiquiore arte chorica, a Terpandro praecipue et Archilocho et Stesichoro instituta atque exculta, naturam suam et formam repetierit[1]), haec contra ad Pindaricam artem propius accesserit. Hinc factum est, ut Aeschylus retineret primariam metricae compositionis varietatem, quae in chorica illa poësi praeformata erat, Sophocles quo magis de prisca hac arte discedêns posteriorum consuetudinem sequebatur, quos non in varietate, sed in aequabilitate numerorum maiorem artis laudem posuisse scimus, eo maiorem quoque expeteret communitatem et unitatem metricae compositionis, qua exempli causa Pindari carmina artius inter se coniuncta esse nemo est qui infitietur.[2]) Patet autem, si qua est inter numeros et orationem necessitudo, et probabilitatem habent, quae modo disputavimus, quanto Sophoclis cantica numerorum varietate Aeschyleis cedant, tanto iis praestare oportere dialecti unitate atque constantia.

Et est talis, qualem coniectura collegimus, maior in arte Sophoclis quasi aequabilitas, quae omnia fere cantica artioribus vinculis copulata atque coniuncta efficiat. Is enim, repulsa integra ista cunctorum metrorum copia, non iam tanta, quanta Aeschylus in elegindis iis disponendisque arte et libertate usus est, sed incohavit nonnulla eligere, quibus communem quendam et universalem usum vindicavit quaeque inde propria ac peculiaria omnium fere canticorum metra facta magis magisque reliqua, quae antea non minus in melicis poësis tragicae partibus usitata atque accepta fuerant, obscurarunt et loco demoverunt. Sunt enim haec metra logaoedica, epitrita, dochmiaca. Quae quantum praevaleant in fabulis Sophocleis, cum ex tanta carminum his numeris astrictorum tum ex paucitate eorum, quae aliis rhythmis vincta sunt, non mediocriter probatur. Ac primum quidem commemoro nullum exemplum occurrere versuum trochaicorum ad iustas strophas compositorum, quod metrum quam adamaverit Aeschylus, ex exemplis supra adnotatis dilucide apparet. Deinde exiguus animadvertitur usus, numerorum ionicorum, qui semel tantum in secunda syzygia primi stasimi fabulae Oed. tyr. v. 483. deprehenduntur:

Δεινὰ μὲν οὖν, δεινὰ ταράσσει
σοφὸς οἰωνοθέτας, sqq.

Tum stropharum iambicarum, quas in Aeschyli tragoediis longe principem locum obtinere cognovimus, apud Sophoclem tantulus numerus exstat, ut quae huc referendae sunt, a re non alienum videatur enumerare. Sunt enim haece fere:

1., Oed. tyr. vv. 190—215 Ἄρεά τε, τὸν μαλερόν, ὃς νῦν ἄχαλκος ἀσπίδων sqq.
2., duae epodi El. 1273—1287: ἰὼ χρόνῳ μακρῷ φιλτάταν sqq.
et Trach. 132=140: μένει γὰρ οὔτ' αἰόλα sqq.
3., Melidarium illud choricum Trach. 205.
Ἀνολολυξάτω δόμοις ἐφεστίοις sqq.
4., Eidem metro adscribenda videtur epodus, in quam chori canticum in fabula Electrae v. 504 sqq. exit
ὦ Πέλοπος ἁ πρόσθεν . . . ,
quamquam quomodo primus versus (_ ◡ ◡ ◡ _ _ _) metiendus sit, non satis liquet[3]).
5., Antig. 853: προβᾶσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους sqq.

Denique etiam dactylicos numeros si non ex omnibus canticorum generibus, at ex iustis choricis remotos atque angustis commorum et monodiarum finibus circumscriptos videmus. In commorum numeris una habenda est prima stropha parodi

[1]) Westphal. l. c. II., 2. p. 277 sqq. Idem in Catullo suo p. 72. sqq.
[2]) Westphal. l. c. praef. p. LI. ad extr. et p. 783.
[3]) cf. Gleditsch „die Sophocleischen Strophen metrisch erklärt," in programmate gymn. Guilelm. Berol. 1868.

Oed. tyr. v. 151: ὦ Διὸς ἁδυεπὲς φάτι, τίς ποτε τᾶς πολυχρύσου sqq.; ex monodiis huc refer, quae canuntur: .

El. 129 ὦ γενέθλα γενναίων [πατέρων]
ἥκετ' ἐμῶν καμάτων παραμύθιον sqq.

Oed. Col. 237: ὦ ξένοι αἰδόφρονες sqq.

Trach. 1011. πάντων Ἑλλάνων ἀδικώτατοι ἀνέρες, οὓς δὴ sqq.

Phil. 839: ἀλλ' ὅδε μὲν κλύει οὐδέν, ἐγὼ δ' ὁρῶ οὕνεκα θήραν sqq.

Quae modo attuli exempla, quoniam de tanta carminum copia partem admodum exiguam efficiunt, iam ipsa satis testantur, quam non comparanda sint cum multitudine reliquorum, quae ex dactylo — epitritis, logaeoedicis, dochmiacis numeris composita sunt. Quare cum triplex potissimum sit metrorum varietas, in qua omnis fere huius tragici poësis lyrica versatur: aequabilitas quanta per summam cantionum hinc diffusa sit, perfacile est cognitu. Nam cum Aeschylea cantica maximeque iusta chorica saepius ad octo syzygias extensa per se maiorem numerorum vicissitudinem facile reciperent et forsitan ad augendam audientium delectationem requirerent, Sophoclea si exceperis unam parodum fabulae Oed. tyr.

v. 151. ὦ Διὸς ἁδυεπὲς φάτι, τίς ποτε τᾶς πολυχρύσου sqq.

quae tres syzygias complectitur, *nusquam supra modum binarum syzygiarum* propagatam, saepe etiam in minorem singularum ambitum coartata invenies, quibus quantopere diversorum metrorum usus obstiterit, per se patet. Quod si in universum ea lex valet, ut nisi metro mutato ne dialectus quidem mutetur, nec ad Doricam chorum vulgo confugere potest negari: imprimis eam regnare necesse est in iis chori carminibus, quae uno, non pluribus metris utuntur, id quod usu venit, ubi totum canticum ex stropha et antistropho constat. Itaque in hunc numerum cadunt, quae canuntur:

Ai. 693: ἔφριξ' ἔρωτι, περιχαρὴς δ' ἀνεπτάμαν. sqq.

Oed. tyr. 1086: εἴπερ ἐγὼ μάντις εἰμὶ καὶ κατὰ γνώμαν ἴδρις sqq.

Oed. Col. 1556. εἰ θέμις ἐστί μοι τὰν ἀφανῆ θεὸν sqq.

Ad horum carminum similitudinem quam proxime accedunt ea, quorum syzygiae epodus adjuncta est; talia sunt, quae legimus

Ai. 172: ἦ ῥά σε Ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις sqq.

El. 473: εἰ μὴ ἐγὼ παράφρων μάντις ἔφυν καὶ
γνώμας λειπομένας σοφᾶς sqq.

Ant. 781: Ἔρως ἀνίκατε μάχαν sqq.

Trach. 497: μέγα τι σθένος ἁ Κύπρις ἐκφέρεται νίκας ἀεὶ sqq.

Oed. Col. 1211: ὅστις τοῦ πλέονος μέρους sqq.

Quae carmina qui accuratius perlustraverit, summam in usu Dorismi, quoad uti eo tragicis licuisse novimus, perfectionem admirabitur, quae ne una quidem linguae communis forma turbata sit. Unde autem perfecti huius Dorismi causam quaerendam dicemus? Ex argumentis? At apertum est, permultum omnia ea re inter sese differre; certe enim, ne in pluribus fabulis versemur, nullo modo comparari possunt cogitationes illae gravitatis angoris sollicitudinis plenae, quas chorus in Aiace v. 172 sqq. pronuntiat, cum eiusdem chori laetitia ac gaudio exsultantis carmine v. 693 sqq. An ex numeris? At horum non minor est diversitas, cum hic logaoedici, illic dactylo—epitriti, alibi alii fluant. Restat igitur, ut intellegamus eam ex unitate et aequabilitate metrica, quae in quoque horum choricorum adspicitur et quam dialecti quoque constantia sit consecuta. Atque hoc primum genus carminum esto, quae si chori sunt et ex una syzygia constant, quocunque metro utuntur, Sophocles quantum tragicorum more poterat Dorice videtur colorasse.

Alterum est earum chori cantionum, quae plures syzygias continent. Quae ut ordine pertractentur, in duas partes dividendae sunt, unam, in qua omnium stropharum idem metrum est,

alteram, in qua suos quaeque syzygia retinet numeros a praegrediente diversos. Ac de priore quidem genere non opus est multis disserere. Nam si probabilitatem habent, quae modo disputavimus, metri scilicet si deesset varietas, sermonis quoque colorem quam maxime constitisse: efficitur, idem etiam in hoc carminum genus cadat oportere. Sunt autem huc referenda, quae numeris logaoedicis scripta, quibus passim (El 1083 sqq. Antig. 944 sqq. Philoct. 676 sqq. Oed. Col. 694 sqq.) quasi ad tardandum acceleratum rhythmi cursum iambi admisti sunt, hisce locis leguntur: Ai. 596—645 ὦ κλεινὰ Σαλαμίς, σὺ μὲν sqq.

ibid. 1185—1222: τίς ἄρα νέατος ἐς πότε λήξει sqq.
El. 1058—1096: τίς τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους sqq.
Oed. tyr. 863—910: εἴ μοι ξυνείη φέροντι sqq.
Antig. 944—987: ἔτλα καὶ Δανάας οὐράνιον φῶς sqq.
ibid. 1115—1152: πολυώνυμε, Καδμείας ἄγαλμα νύμφας sqq.
Trach. 633—662: ὦ ναύλοχα καὶ πετραῖα sqq.
Phil. 676—729: λόγῳ μὲν ἐξήκουσ,᾽ ὄπωπα δ᾽οὐ μάλα sqq.
Oed. Col. 668—709: εὐίππου, ξένε τᾶσδε χώρας sqq.

Et nos quidem, omnibus perlustratis et diligenter examinatis, mirum quantum eandem, quam in priore illo ordine inter metrum et sermonem cognovimus necessitudinem et aequabilitatem in his quoque carminibus ubique confirmatam atque servatam animadvertimus. Neque enim haec nostra observatio labefactatur opinione eorum, qui in fabula Oed. Col. vv. 668—719 formis ἀνήλιον v. 676, ἀνήνεμον v. 677, κατ᾽ἦμαρ v. 682, ἐπ᾽ ἤματι v. 688 Doricam orationem aequabiliter fluentem interruptam turbatamque censeant. Primum enim ut ordiamur a vocibus κατ᾽ἦμαρ, ἐπ᾽ἤματι, hae cum epicae dialecto debeantur, non iure opponi possunt ei Dorice dicendi generi, quod in arte tragica locum habet: nempe tragicorum Dorismo opposita est pura lingua Attica, non epica. Deinde ut aliae ita substantivi ἦμαρ quoque cum praepositionibus κατά, ἐπί aliisque coniunctiones, praesertim si Homeri carminibus sancitae communi omnium poëtarum usu receptae erant, paullatim in formulas adverbiascentes abierant nec facile debebant mutari. Licet igitur dixerint tragici ἆμαρ nominativum — ut Sophocles Antig. v. 1333: ὅπως μηκέτ᾽ἆμαρ ἄλλ᾽ εἰςίδω, vel Euripides Hel. v. 1366; εὖ δέ νιν ἄμασιν ὑπέρβαλε σελάνα — tamen ubi praepositiones accesserunt, ubique ἦμαρ formam epicam tenuerunt. Cuius rei exempla suppeditant multa cantica, quae ad speciem dialecti Doricae plane aptata sunt, velut:

Oed. tyr. v. 199. τοῦτ᾽ ἐπ᾽ ἦμαρ ἔρχεται
Oed. Col. 1079: τελεῖ, τελεῖ, Ζεύς τι κατ᾽ ἦμαρ
Phil. 1089: λύπας τᾶς ἀπ᾽ ἐμοῦ τάλαν τίπτ᾽ αὖ μοι τὸ κατ᾽ ἦμαρ ἔσται,

quo loco postremo Dindorfius quidem ut alibi pro nimia sua Dorismi cupiditate contra omnium librorum fidem κατ᾽ ἆμαρ scripsit. — Item Aeschylus ἦμαρ posuit:

Choëph. 603: μοιρόκραντον ἐς ἦμαρ
et Euripides in Alcest. 231: τὰν γὰρ . . . εἰν ἤματι τῷδε ἐπόψει.
et in Electra 145: οἷς ἀεὶ τὸ κατ᾽ ἦμαρ.

Jam qui in ἀνήλιον forma Doricum colorem desiderant, vulgo nituntur loco Aeschyleo, qui legitur in fabula

Sept. 837: τὰν ἀστιβῆ ᾽πόλλωνι, τὰν ἀνάλιον sqq.,

nec tamen animadvertunt, eundem hunc versum, qualis libris manuscriptis continetur, vix incorruptum esse traditum maximeque formam ἀνάλιον parum constare, quippe in qua codices ita

inter se discrepent, ut alii α litteram, alii η in altera syllaba praebeant. Est autem facile intellectu, quomodo librarii in tanta carminis, ex quo versus noster desumptus est, Doricarum formarum multitudine, si ἀνήλιον ab Aeschylo scriptum fuisse supponamus, ab hac scriptura deflectere et ἀνάλιον ad maiorem sermonis convenientiam falso inferre potuerint, perdifficile autem, si ἀνάλιον ponamus, quomodo ἀνήλιον irrepserit. Huc accedit, quod alia quoque adiectiva a voce ἥλιος ducta vocalem η in mediis Dorismis retinuerunt. Sic leguntur apud Aeschylum:

Choëph. 46: ἀνήλιοι, βροτοστυγεῖς sqq.

Suppl. 137: εἰ δὲ μή, μελανθὲς ἡλιόκτυπον γένος sqq.

apud Euripidem in Phoen. 674: ἅ νιν εὐηλίοισι δεῖξεν αἰθέρος πνοαῖς.

et apud Aristoph. in Ran. 242: εὐηλίοις ἐν ἁμέραισιν sqq.

Quae cum ita sint, pro certo habuerim, tragicos, etsi dixerint ἅλιος, tamen nusquam ἀνάλιον formasse[1]), ut simili ratione sexcenties eos usurpavisse constat θνατός, ἔβας, βέβακας, ἔτλα, contempsisse semper θνάσκω, βᾶναι, τλᾶναι[2]). Itaque etiam in loco illo Aeschyleo ἀνάλιον emendatione delendum esse mihi persuasum est. Atque ut ad postremam formam ἀνήνεμον veniamus, cum eadem praeter hunc locum nusquam reperiatur neque ex similitudine aut comparatione aliorum adiectivorum cum voce ἄνεμος compositorum ad Doricum usum revocari non possit, nihil est cur tragicos usquam ἀνάνεμον scripsisse arbitremur. Dixerit fortasse aliquis sane constare Dorismum horum adiectivorum usu epitheti εὐάνεμος, quod uno omnium librorum consensu offeratur in fabula

Ai. 197: ἐν εὐανέμοις βάσσαις sqq.

et Dorice dictum esse pro εὐηνέμοις: in quo errore versari video Passovium[3]) in lex. Graec. s. v. εὐάνεμος, Ellendtium in lex. Sophocl. vol. II, praef. p. XIV, Schaeferum in commentatione supra commemorata p. 10, quibuscum tacite consentiunt omnes[4]) quod sciam fabularum Sophoclearum editores. Quamquam in nostra sententia perseveramus. Primum enim tenendum est, duplicem formam in usu fuisse, unam ευάνεμος (‒ ◡ ◡ ◡) paeonico rhythmo metiendam, alteram εὐήνεμος, quarum modo hanc, modo illam, prout metro conveniebat, poëtae sibi elegerunt. Illam autem εὐάνεμος hoc loco intellexisse constat scholiastam, qui verba nostra interpretari incipit: ὡς πῦρ ἐν εὐανέμοις βήσσαις sqq. (cf. Lobeck. Schol. ad Aiac. p. 99; ed. prior). Cum tamen in scholiastis non semper acquiescendum sit, praeterea videamus, ex metrica ratione num colligi possit, utra forma hoc loco intellegenda sit, Dorica εὐανεμοις (‒ ‒ ◡ ‒) an Attica εὐηνεμοις (‒ ◡ ◡ ‒). Atqui quamquam versus, de quo agitur, epodi est, tamen alteram syllabam formae illius brevem esse oportere apertissimum mihi videtur. Est enim huius epodi compositio, quamprimus omnium recte perspexit Gleditsch l. c., haud quaquam vaga et omni lege libera, sed bene perspicua et ab omni parte perfecta, quippe quae incipiat a duabus hexapodiis logaoedicis et concludatur quinque tetrapodiis, quarum secunda et tertia, quarta et quinta singulos versus constituant. Itaque legendum est:

Ἀλλ' ἄνα ἐξ ἑδράνων ὅπου μακραίων[5])
στηρίζῃ ποτὶ τᾷδ' ἀγωνίῳ σχολᾷ
ἄταν οὐρανίαν φλέγων.
ἐχθρῶν δ' ὕβρις ὧδ' ἀτάρβητ' ὁρμᾶτ' ἐν[εὐανέμοις] βάσσαις [‒ ◡ ◡ ‒]
καγχαζόντων γλώσσαις βαρυάλγητ' ἐ[μοὶ δ' ἄχος ἕσ]τακεν. [‒ ◡ ◡ ‒]

1) Etiam in Eurip. Alcest. v. 437 ἀνήλιον scribendum puto.
2) cf. Schaefer, l. c. p. 8.
3) Stephanus utram formam intellexerit non liquet.
4) Brambach: »die Sophocleischen Chorgesänge, metrisch erklärt« adnotat p. 150. „εὐηνέμοις?“
5) μακραίων ex certissima Neuei coniectura.

Sed non est, cur in hac re longus sim. Vides, quanta sit strophicae compositionis perspicuitas atque concinnitas, quae nihil obscuritatis aut inconvenientiae relinquat. Apparet igitur, multum errasse eos, qui εὐανέμοις formam Doricam et numero ionico a minore, qui vocatur, metiendam rati hinc etiam illi adiectivo Doricum usum vindicandum et Sophoclem hic ut in carmine, quod legitur in fabula Oed. Col. 676 sqq. versibus

φυλλάδα μυριόκαρπον ἀνήλιον

ἀνήνεμόν τε πάντων χειμόνων· sqq.

severae Doridis colorem cum arte quadam mitigasse.

His absolutis, nunc progredior ad eas chori cantiones, quarum singulae syzygiae diversos inter se numeros sequuntur nec uno metro constringuntur. In quo numero habenda sunt omnia cetera fabularum Sophoclearum stasima et ex parodis eae, quae metrica ratione his simillimae nec immistis anapaestorum aliorumve numerorum systematis nec cantu alterius personae, id quod in commis usu evenit, aequabile stropharum flumen interrumpunt. Talia sunt, quae traduntur:

Oed. tyr. 151—215: ὦ Διὸς ἁδυεπὲς φάτι, τίς ποτε τᾶς πολυχρύσου sqq.

462—511: τίς ὅντιν' ἁ θεσπιέπεια Δελφὶς εἶπε πέτρα sqq.

1186—1223: ἰὼ γενεαὶ βροτῶν sqq.

Antig. 332—383: πολλὰ τὰ δεινὰ, κ'οὐδὲν ἀνθρώπου sqq.

583—625: εὐδαίμονες οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών sqq.

Trach. 94—140: ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα sqq.

821—861: ἴδ' οἷον, ὦ παῖδες, προςέμιξεν ἄϝαρ sqq.

947—970: πότερα πότερον ἐπιστεύω, sqq.

Quae cantica si Dorismos circumspiciens pervolveris, eam animadvertes aequabilitatem, quae et variae sententiarum dignitati atque splendori, et diversitati metrorum vehementer repugnet, ita ut nullo modo inde possit comprendi. Etenim uno excepto chorico ex Antigona vv. 332—383 modo allato, in quo Dorismi, quibus in initio carminis permagnae ingenii humani vires facultatesque praedicantur et laudibus efferuntur, ad finem, ubi ad Antigonam a custode adductam chorus verba facit, sensim Atticis formis apte cedunt, reliqua maximeque quae a gravibus epitritis ut in Oed. tyr. 1186 sqq. Antig. 583 sqq. Trach. 94 sqq. incipiunt, tanta Dorismorum granditate perfusa sunt, ut summam probabilitatem habeat opinio eorum, qui sicubi dialecti constantia communi forma laedatur, emendatione delendam eam iusserunt. Quare assentior Ellendtio, qui in lexico Sophocleo s. v. ἡδύπολις versum

ed. tyr. 510: καὶ σοφὸς ὤφθη θ'ἡδύπολις sqq.

corrigendum et ἁδύπολις scribendum proposuit.

Ex his, quae adhuc de Sophocleo Dorismi usu disputavimus, iure colligendum erit, per huius poëtae fabulas dialectum Doricam non solum latius patere et aequabilius fluere quam per Aeschyleas, sed, id quod maximum videatur, propriam esse ac paene constantem linguam chori, a qua perraro discesserit.

Res cum ita se habeat, facile perspicitur, qui fieri potuerit, ut eadem dicendi ratio, quoniam iis carminibus, in quibus totius fere lyricae tragicorum poeseos cardo vertitur, nobilitata est, in reliqua quoque cantica, in commos et ἀπὸ σκηνῆς illa influeret et magis magisque communis omnium carminum Sophocleorum dialectus fieret. Hinc causam depromas, cur exempli gratia in fabula Electrae et quae inde a v. chorus logaoedicis numeris canit:

121: ὦ παῖ, παῖ δυστανοτάτας

Ἠλέκτρα ματρός, τίν' ἀεὶ

τάκεις ὧδ' ἀκόρεστον οἰμωγὰν

τὸν πάλαι ἐκ δολερᾶς ἀθεώτατα
ματρὸς ἁλόντ' ἀπάταις Ἀγαμέμνονα
κακᾷ τε χειρὶ πρόδοτον; sqq.

et quae Electra metro dactylico respondet inde a versu

129: ὦ γενέθλα γενναίων sqq.

et quae alibi (cf. Antig. 806: ὁρᾶτ' ἔμ', ὦ γᾶς πατρίας πολῖται, sqq. Phil. 1081: ὦ κοίλας πέτρας γύαλον sqq.) his similiter composita sunt, perfecta Doride concepta sunt. Hinc denique intellegas, qua de causa monodiae quoque maxima ex parte non mediocrem harum formarum copiam adsciverint, velut ea, quae Aiacem Sophocles in fabula cognomini dochmiacis versibus canentem facit

v 399 ⏑ – ⏑ οὔτε γὰρ θεῶν γένος
οὔθ' ἁμερίων ἔτ' ἄξιος
βλέπειν τιν' εἰς ὄνασιν ἀνθρώπων.
ἀλλά μ' ἁ Διὸς
ἀλκίμα θεὸς
ὀλέθριον αἰκίζει sqq. cf. Electra 1235 sqq. Trach. 1006 sqq.

Quin etiam ne ab *hexametris* quidem versibus dactylicis, quibus, cum tranquillae sedataeque epicae poesis naturam prae se ferant, omnium maxime iste sermonis color resistere debebat, ubi cantati sunt[1]), Sophoclem eam prohibuisse, testantur quae Hercules cantat in Trachiniis

v. 1032: παῖσον ἐμᾶς ὑπὸ κλῇδος· ἀκοῦ δ' ἄχος, ὥ μ' ἐχόλωσεν
σὰ μάτηρ ἄθεος, τὰν ὧδ' ἐπίδοιμι πεσοῦσαν
αὔτως, ὧδ' αὔτως ὥς μ' ὤλεσεν. ὦ γλυκὺς Ἅιδας sqq.

Luculentissimum denique argumentum, unde Sophocli quam Aeschylo aequabiliorem et per omnia carminum genera ac metra latius patentem Doricarum formarum usum adiudicandum esse existimemus, ducamus ex hypermetris anapaestorum. Fuerunt quidem, qui ex his omnem Dorismum radicitus exstirpandum opinarentur, sed eos rectius, quid Aeschyli quam Sophoclis moris fuisset, vidisse affirmaverim. Ille enim sive canticis anapaestos praemisit sive immiscuit[2]), eam legem constanter videtur observasse, ut Dorismos non admitteret nisi in nominibus propriis et patronymicis, quae nomina semper cum pietate quadam et sollemnitate enuntiarentur[3]), aut in exclamationibus et invociferationibus, in quibus una cum assurgente mutataque voce orationem ante aequabiliter temperateque fluentem aliquanto acriorem et graviorem factam esse per se consentaneum est. Iisdem enim conditionibus vel in diverbiis dialecto Dorica tragicos non abstinuisse, optime cognoscitur ex loco illo fabulae Prometheи, ubi Prometheus Oceanidibus advolantibus a quieto senariorum genere subito discedens exclamat:

v. 114: ἆ ἆ, ἔα ἔα·
τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής;

---

1) Hermann. ad Aristot. art. poet. comment. cap. XII [illegible].

2) Exempli causa [illegible] anapaestos [illegible] Choëph. v. [illegible] sqq.

[illegible]
μεγάλης δὲ τύχης καὶ [illegible]
[illegible]
[illegible] δεξιᾶς [illegible] τῆσδε [illegible]
[illegible]
[illegible] γῆς [illegible] sqq.

3) [illegible]

Atque ut nominum propriorum ad hanc dialectum conformatorum exemplum afferamus, in eodem versuum genere dicta sunt:

Eum. 234: ἄνασσ' Ἀθάνα, Λοξίου κελεύσμασιν sqq.,

et eandem formam saepius.[1]) Quae autem ne a diverbiis quidem abhorrent, ea certe relinquenda sunt anapaestis, quippe quos canticis multo propiores esse constet. Itaque ut ex multis pauca eligam, ferenda sunt, quae codicum memoria leguntur:

Agam. 1418: ἰὼ ἰὼ παράνους Ἑλένα
μία τὰς πολλάς, τὰς πάνυ πολλὰς
ψυχὰς ὀλέσασ' ὑπὸ Τροίᾳ sqq.
et ibid. 1504: ἰὼ γᾶ, γᾶ, εἴθε μ' ἐδέξω,
πρὶν τόνδ' ἐπιδεῖν ἀργυροτοίχου
δροίτας κατέχοντα χαμεύναν.

Haec autem etiam unica esse, in quibus Aeschylus anapaesticis systematis a solutae orationis specie recesserit, nobis persuasissimum est. Nam quae praeterea passim in hoc numerorum genere Dorice scripta tradita sunt, omnia sine dubio mutari et ad usum vulgarem revocari debent, nisi confuse quispiam nec ulla certa lege ac ratione Aeschylum scripsisse arbitratur. Accedit, quod ne in una quidem earum formarum, quae sententiae nostrae obstare videntur, scriptura codices inter se consentiunt. Sic pro ἀρωγὰν Agam 47, quod recepit Hermannus in codice M. legitur ἀρωγὰν, ad ultimam vocalem η supra adscripto (cf. Hermanni adnotat. ad h. v.); similiter in codd. Venet. et Flor. eadem in fabula v. 1445 γέννης scriptum est, quod Dindorfius ceterorum librorum scripturae γέννας iure, ut opinor, praeposuit; nullam vero probabilitatem habet ἀγανὰ ibid. v. 101 in loco aperte corrupto et admodum mendoso; quarta denique quae restat, forma ἀτίτᾳ ibid. v. 72 nemo dubitabit, quin cum Dindorfio scribenda sit ἀτίται, nulla littera dimissa.

Quare aperte nobis cavendum est, ne quae Hermannus in commentario ad Aristotelis artem poëticam scripto p. 137 et, qui eius sententiam sectatus est, Schaeferus (l. c. p. 12), vir in Dorismorum usu accuratissimus, docuerunt, »in anapaestis scilicet, qui cum melicis partibus artius cohaererent« iisque immisti essent, Doricam dialectum usitatam et quasi legitimam fuisse, ad Aeschyli quoque artem referamus, immo vero ad Sophoclem ea et, quantum video, ad Euripidem circumscribenda sunt. Planum est enim, nihil cum horum virorum sententia congruere, quae choricis inserta leguntur systemata quinque

Eumenid. v. 914: τάδ' ἐγὼ προφρόνως τοῖσδε πολίταις sqq.

aut quae Prometheus v. 136: αἰαῖ, αἰαῖ,
τῆς πολυτέκνου Τηθύος ἔκγονα sqq.

quattuor systematis ἀπὸ σκηνῆς decantat. Neque minus iis repugnant, quae threnorum duorum strophis immista sunt

Choëph. v. 336: ἀλλ' ἔτ' ἂν ἐκ τῶνδε θεὸς χρῄζων sqq
v. 367: ταῦτα μέν, ὦ παῖ, κρείσσονα χρυσοῦ sqq.
v. 395: ἀλλὰ νόμος μὲν φονίας σταγόνας sqq.

et quae in fabula Agamemnonis Clytaemnestra per plura systemata inde a versu 1430:

μηδὲν θανάτου μοῖραν ἐπεύχου sqq.

et chorus per duo (v. 1457 sqq. et v. 1481 sqq.) proferunt.

---

[1]) Locos, qui huc pertinent, collegit Schaefer l. c. p. 13.

Contra longe alia est ratio anapaestorum Sophoclis, qui pro maiore suo et aequabiliore Dorismorum usu etiam in hos numeros liberius eos intulisse videatur. Atque ex his quoque qui prorsus eos eiciendos esse docerent, non defuerunt, verum legem, quam ipsi excogitarunt, Sophocli obtruserunt, arbitrio potius quam disciplina et certa ratione usi nec satis observantes, quid in hac re eius moris fuerit: unde factum est, ut sibimet ipsis nihil constantes hic mutarent, non mutarent illic. Quorum virorum rationi temerariae primum obstat permagnus eiusmodi formarum usus, deinde admirabilis librorum consensus. Ac ne ii quidem audiendi sunt, qui Aeschyli consuetudine Sophocleorum anapaestorum dialectum metiri posse sibi visi sunt, ferendas quidem rati formas Ἐρεχθειδᾶν Ai. 202, Ἅιδαν Ant. 822, Ἀτρείδαν fragm. 765, τὸν παγκοίταν θάλαμον Ant. 804 etc.; et ex genere exclamationum quae afferuntur:

Oed tyr. 1306: αἰαῖ, αἰαῖ.
φεῦ φεῦ, δύστανος ἐγὼ ποῖ γᾶς
φέρομαι τλάμων; πᾷ μοι φθογγά sqq.,

tollenda autem, quae ab his alienarent In hac enim sententia qui versantur, non satis perspexerunt mutatam horum anapaestorum rationem ac naturam ab arte Aeschylea plane diversam. Aeschyli enim anapaestorum systemata cum ubique coryphaei sint et magis recitata quam cantata ad naturam diverbiorum, non carminum, ad quae potius aditum patefaciunt ac praemuniunt, propius accedunt, cum Sophoclea, si ea exemeris, quae coyphaeus recitat in fabula

Ai. 134: Τελαμώνιε παῖ, τῆς ἀμφιρύτου sqq.

ubique decantata et iustis canticis maxime cognata habenda sint. Patet autem, tales anapaestos etiam bene decere melicarum partium dialectum Doricam. Itaque defendo, quae codices praebent:

Ant. 110: ὃν ἐφ' ἁμετέρᾳ γᾷ Πολυνείκης
ἀρθεὶς νεικέων ἐξ ἀμφιλόγων
. . . . . , ὀξέα κλάζων
αἰετὸς ἐς γᾶν ὑπερέπτα.

et quae his similia exstant:

Ai. 202: γενεᾶς χθονίων ἀπ' Ἐρεχθειδᾶν.
208: τί δ' ἐνήλλακται τῆς ἁμερίας
234: δεσμῶτιν ἄγων ἤλυθε ποίμναν.
256: οὐκέτι λαμπρᾶς γὰρ ἄτερ στεροπᾶς.
Oed. tyr. 1301: μείζονα δαίμων τῶν μακίστων.
Antig 822: θνατῶν Ἅιδαν καταβήσει,
ibid. 836: Καίτοι φθιμένᾳ μέγ' ἀκοῦσαι.

Sed finem facio, cum singula persequi nec possim nec, si possem, nunc quidem vellem. Id autem apertum est, inter Aeschyleum et Sophocleum dialecti Doricae usum multum differre nec eum satis posse cognosci atque perlustrari nisi ex necessitudine quae inter ipsam illam dialectum et metricam utriusque poëtae artem intercedat.

